

ad alia pensa dimitti. Quae uero capta sint lanifica,
umore lentescere, mox in fila tenuari iunceo fuso.
Nec puduit has uestes usurpare etiam uiros leuita-
tem propter aestiuam : in tantum a lorica gerenda
discessere mores, ut oneri sit etiam uestis. Assyria
tamen bombyce adhuc feminis cedimus.

XXVIII (24). Araneorum his non absurde iungatur 79
natura, digna uel praecipua admiratione. Plura autem
sunt genera nec dictu necessaria in tanta notitia. Pha-
langia ex iis appellantur quorum noxii morsus, corpus
exiguum, uarium, acuminatum, adsultim ingredien-
tium. Altera eorum species nigri, prioribus cruribus
longissimis. Omnibus internodia terna in cruribus.
Luporum minimi non texunt, maiores in terra, et 80
cauernis exigua uestibula praepandunt. Tertium
eorundem genus erudita operatione conspicuum.
Orditur telas, tantique operis materiae uterus ipsius
sufficit, siue ita corrupta alui natura statu tempore,
ut Democrito placet, siue est quaedam intus lani-
gera fertilitas : tam moderato ungue, tam tereti filo
et tam aequali deducit stamina, ipso se pondere usus.
Texere a medio incipit, circinato orbe subtemina 81